

incensi et noctem flammis funalia vincunt.
 hic regina gravem gemmis auroque poposcit
 inplevitque mero pateram, quam Belus et omnes
 a Belo soliti; tum facta silentia tectis: 730
 'Iuppiter, hospitibus nam te dare iura locuntur,
 hunc laetum Tyriisque diem Troiaque profectis
 esse velis, nostrosque huius meminisse minores.
 adsit laetitiae Bacchus dator et bona Iuno;
 et vos o coetum Tyrii celebrate faventes.' 735
 dixit et in mensam laticum libavit honorem,
 primaque libato summo tenuis attigit ore;
 tum Bitiae dedit increpitans; ille inpiger hausit
 spumantem pateram et pleno se proluit auro;
 post alii proceres. cithara crinitus Iopas 740
 personat aurata, docuit quem maximus Atlas.
 hic canit errantem lunam solisque labores,
 unde hominum genus et pecudes, unde imber et ignes,
 Arcturum pluviasque Hyadas geminosque Triones,
 quid tantum Oceano properent se tinguere soles 745
 hiberni vel quae tardis mora noctibus obstet.
 ingeminant plausu Tyrii Troesque secuntur.
 nec non et vario noctem sermone trahebat
 infelix Dido longumque bibebat amorem,
 multa super Priamo rogitans, super Hectore multa; 750
 nunc quibus Aurorae venisset filius armis,
 nunc quales Diomedis equi, nunc quantus Achilles.
 'immo age, et a prima dic hospes origine nobis
 insidias' inquit 'Danaum casusque tuorum
 erroresque tuos; nam te iam septima portat 755
 omnibus errantem terris et fluctibus aestas.'

LIBER SECUNDUS

Conticuere omnes intentique ora tenebant.
 inde toro pater Aeneas sic orsus ab alto:
 'infandum regina iubes renovare dolorem.
 Troianas ut opes et lamentabile regnum